

abstractionis omittit rationem boni, quia non attenditur ejus perfectio, vel convenientia, aut conducentia ad aliquid, sed sola est extensio imaginata prout continuitatem, commensurationem, vel proportionem habet, ut docet D. Thomas XI met. lect. III.

XIX. Dices : Hoc modo etiam quantitas mathematica abstrahit a ratione entis, redditur enim ens imaginarium, sicut relatio, ut abstrahit ab in, et solum consideratur respectus ad, non explicat perfectionem, et bonitatem, sed neque entitatem. At vero Div. Thomas non negat mathematicis rationem entis, ut patet in hoc articulo secundo ad quartum sed solum rationem boni. Confirmatur, quia quantitas mathematica solum abstrahit a subjecto, non vero a sua essentia, seu quidditate, sic enim remaneret nihil, et sic neque quantitas esset, sicut si qualitas sine subjecto consideraretur, non propter hoc amitteret suam quidditatem, neque bonitatem, ergo similiter quantitas non amittit illam, alioquin fatebimur nunquam posse rationem boni separari a ratione essentiae, seu entis, quod tamen communiter negatur in istis mathematicis, in quibus non tollimus rationem entis, sed solum rationem boni.

XX. Respondetur quod mathematica ex vi suæ abstractionis, et conceptus excludunt a quantitate statum sensibilem, nec considerant quantitatem secundum illam realitatem, qua potest cadere sub sensu, sed secundum extensionem imaginabilem præcise, quia ut diximus ad demonstrationes mathematicas sufficiunt lineæ, et figuræ in imaginatione formatæ, quandum ad id, quod extensionis, proportionis, vel continuitatis, considerari potest, non vero quantum ad id, quod sensibilitatis est in tali quantitate, seu

in quantum ens naturale est. Et sic apud Averroes et alios antiquos considerabatur quantitas interminata, et terminata, et illa interminata dicitur, quæ præcise extensionem considerat secundum quod præcise sequitur ad materiam, quantum ad id, quod de extensione potentiali, et formabili dicitur: terminata vero quantitas est illa, quæ sub certa terminatione, et formatione concipitur, et sic redditur sensibilis, de quibus dimensionibus interminatis videri potest Div. Thomas opusculo XXXII, cap. VI, et opusculo LXX, quæst. IV, articul. II. Ita mathematica considerat quantitatem, quantum ad id præcise, quod habet de extensione interminata, et secundum id, quod habet a materia, non secundum terminationem, modum, quem habet a forma, ratione cujus redditur sensibilis. Quare quantitas mathematica habet conceptum positivum quantitatis interminatæ eo modo, quo quantitas potest inveniri sive imaginario, sive sensibiliter in ratione entis veri. Unde permissive se habet ad rationem entis realis, et veri, neque positive includendo, et considerando adæquate neque positive excludendo per repugnantiam, realitatem ipsius quantitatis. Et in hoc differt a quantitate pure imaginaria, quæ est ens rationis, hæc enim repugnanter se habet ad quantitatem realem, quia ens rationis est. At vero quantitas mathematica non repugnanter se habet, sed indifferenter, quia æque bene potest facere suas demonstrationes in lineis realibus, vel imaginariis, sicut si relatio consideretur secundum rationem ad præcise nondum consideratur, ut ens rationis, nec tamen ut determinate ens reale, sed indifferenter ad illud, quia non consideratur adæquata ratio ejus ex omni parte, quæ requiritur ad realitatem, ad quam etiam requiritur

ratio in, sed ex ea parte, qua indifferens est ad realitatem, et solam explicat rationem ad. Sic quantitas consideratur a mathematico inadæquate, et sub ea ratione præcise extensionis interminatæ, quæ indifferenter se habet ad imaginariam, et realem et sic non excludit rationem entis, sed permittit, neque repugnanter se habet ad illud, sed indifferenter. Unde nec ens rationis est determinate, nec ens reale determinate, sed indifferenter et permissive se habet ad utrumque. Quod non solum contingit in ratione entis in communi, quæ abstrahit ab ente reali, et rationis, sed etiam in relatione, quæ abstrahit a reali, et rationis secundum inadæquatum conceptum ad et in quantitate, quæ abstrahit ab imaginaria, et sensibili sub inadæquato conceptu extensionis interminatæ. Cæterum hæc differentia, et permissiva abstractio quantitatis non sufficit ad bonitatem, nisi ab illo statu indifferenti, et interminato reducatur ad statum quantitatis sensibilis, et sic non est immediate bona, tum quia non consideratur ut perfecta, sed ut indifferens ad reale, et rationis, sicut relatio sub conceptu ad non explicat perfectionem, neque bonitatem, licet reductam ad in reale, illam habeat, non immediate sub illo conceptu: tum quia sub ratione interminatæ extensionis realis solum consequitur ad materiam non ad formam. Unde sicut materia non est actu bona, sed potentia, quia solum consideratur, ut formalis, non ut formata, ita quantitas ut præcise sequitur ad materiam, formabilis est non formata, et sic non actu, et determinate bona.

XXI. Ad confirmationem respondetur quod quantitas mathematica non solum abstrahit a subjecto eo modo quo quantitas in eucharistia

sine subjecto manet, hæc enim non amittit sensibilitatem, licet actualement inhaerentiam non habeat, sed est abstractio quantitatis ab ipsa sensibilitate, quam habet in ordine ad subjectum, seu ad formam sensibilem, a qua illam participat. Et sic abstrahit a quidditate sua ut adæquate considerata, et per modum sensibilis, solumque considerat de illa id, quod est extensionis interminatæ, et indifferenter se habentis ad imaginariam, et sensibilem quantitatem, sicut in exemplo relationis considerantis ad rationem ad, et non in, declaratum est, ubi non abstrahitur quidditas, sed inadæquate consideratur.

XXII. Ad fundamentum pat. Vazquez circa primum ejus dictum, respondetur mathematicum non considerare essentiam, et naturam lineæ, aut integritatem et perfectionem ejus prout sensibilis, et naturalis est, sed solum prout imaginabilis, vel ut indifferenter se habens ad imaginariam, quæ est ens rationis, et ad sensibilem, quæ est realis: bonitas autem non sequitur, nisi ad perfectionem realem, et sensibilem quantitatis, non ad illum statum quantitatis imaginabilis, sic enim non attenditur integritas ejus, sicut nec terminatio, vel formatio, sine terminatione autem, et formatione non datur integratio, et perfectio quantitatis, sed imaginatio, quod solum pertinet ad mathematicum, non enim speculatur naturam, et quidditatem lineæ, id enim ad metaphysicum spectat, sed id quod extensionis imaginabilis est.

XXIII. Ad secundum dictum p. Vazquez respondetur quod ad bonitatem non requiritur existentia, ut ratio bonitatis, sed ut conditio, requiritur enim quod sit in statu ordinabili ad esse, et participativo ipsius esse quantum est ex vi ipsius

naturæ, licet non habeat exercitium actualiter movendi, nisi ponatur, aut consideretur in aliqua existentia. Creaturæ autem possibles remanentes statu possibilitatis non sunt bonæ, neque appetuntur, ut dicemus ad quæstionem XIX, status enim possibilitatis non est appetibilis, cum sit status non essendi, sed creaturæ possibles transeundo de statu possibilitatis ad futuritionem, et præsentiam, sic sunt appetibiles, sed hoc modo jam incipiunt pertinere ad statum existentiae, id est, ordinari ad eam, non per modum solius potentiae, sed per modum transeuntis de potentia ad actum, de statu possibilitatis ad statum futuritionis. Et cum dicitur, quod bonum importat connexionem per se cum ente, et quando dicitur, quod ens est bonum, ly est abstrahit ab existentia, respondetur quod bonum importat connexionem per se cum ente, ut perfecto, et importante ordinem ad esse, non cum ente quomodocumque considerato et in quocumque statu, et sic potest in sua prædicatione abstrahere ab existentia, tamquam a ratione connexionis, non tamen tamquam a conditione, et actualitate, ad quam dicit ordinem ipsum bonum, et ita naturæ acceptæ in universali, et abstrahenti ab existentia per se convenit ratio boni, et finis, non tamen sine aliquo ordine ad existentiam, quia de se existentiae est capax, licet non habeat in exercitio eam, nisi in suis individuis. Abstractio autem mathematica non solum abstrahit ab actuali exercitio existendi, sicut universale, sed etiam ab ordine ad illam; qui consideratur in statu quodam exuente omnem rationem sensibilis per modum extensionis interminatæ, et consequenter sub illo statu non redditur bona aut appetibilis, sed imaginabilis eo modo, quo explicatum est.

XXIV. Ad tertium dictum respon-

detur philosophum non solum loqui de bono relate, quod est bonum mediorum, sed etiam de bono absolute, quod est bonum finis, si quidem dicit non habere motum finalizantis, et sic carere bono.

XXV. Ad id quod objicitur impugnando sententiam D. Thomæ respondetur quod mathematica abstrahunt ab esse aliter quam species, et genera, seu quæcumque alia universalis, nam in abstractione universalis solum impeditur exercitium existentiae propter separationem a conditionibus individuandis, non autem ordo, et fundamentum ad essendum, neque ipsa ratio perfectionis, et actualitatis, quia omnia constitutiva naturæ remanent, in quibus aliqua actualitas reperitur dicens ordinem ad esse, et ita remanet fundamentum appetibilitatis. At vero abstractio mathematica ita versatur imaginabili modo circa extensionem lineæ, vel figuræ, quod nullo modo considerat ipsam naturam, et quidditatem quantitatis, sicut metaphysica, sed denudat omnem rationem sensibilitatis, et solum accipit ipsam dimensionem sub statu indifferenti ad veram, vel imaginariam, ut explicatum est. Unde dicit Div. Thomas I p. quæst. XLIV, artic. I ad III: « Quod mathematica abstrahunt ab habitudine ad causam agentem, quia abstrahunt ab esse. » At vero aliæ naturæ consideratæ in universali non abstrahunt ab habitudine dependentiæ, quam fundant ad suum agens licet abstrahant ab exercitio productionis.

XXVI. Ad id quod dicitur de abstractione a motu optime advertit Cajetanus in præsentis articulo secundo, quod non ex negatione motus physici sequitur negatio boni, ut patet in rebus immaterialibus, quæ sunt immobiles physice, et habent rationem boni, sicut e contra potest

dari motus, et tamen non esse bonum in actu, sicut in materia prima, quæ mutationis est capax. Quare abstractio a motu tunc tollit rationem boni, quando tollit rationem perfectionis allicientis, et sic quia quantitas in abstractione mathematica exiit a ratione sensibili, per quam alliciat, et non induit rationem immaterialis naturæ, sed solum imaginabilis extensionis indifferenter se habentis ad extensionem imaginariam, vel realem, ideo talis abstractio a motu, id est, a naturalitate, seu sensibilitate tollit in quantitate rationem boni, quia ex vi illius conceptus præcise dicit extensionem, qualis etiam invenitur in vacuo, et non solum, ut in subjecto naturali.

XXVII. Ad impugnationem conclusionis D. Thomæ respondetur quod mathematica abstractio non solum negative se habet erga bonum, sicut quando consideratur ens non considerando bonum, sed etiam privative, quia considerat quantitatem denudatam perfectione, qua redditur sensibilis, et naturalis, et cum motu, et non solum considerat illam ad modum imaginariæ quantitatis, ut satis declaratum est. Et verum etiam est, quod quamdiu manet essentia rei, ut est fundamentum passionum, manent passionem, sed bonum est passio entis, ut perfecti, et non alio modo; quantitas autem mathematica non est perfecta, et integra, sed inadæquate se habet, ut imaginabilis non ut sensibilis, eo modo quo relatio considerata ex parte ad, et non ex parte in.

XXVIII. Adhuc tamen instabis: Nam quantitas, ut considerata a mathematica est objectum specificans ipsam scientiam, et actum cognoscendi, sed tota perfectio actus cognoscendi sumitur ab objecto, ergo objectum debet esse perfectum, et bonum, et finis talis actus, si qui-

dem perficit illum, et specificat. Non requiritur autem, quod ut aliquid sit bonum sit perficiens alterum tamquam forma subjectum, sed sufficit, quod sit perficiens tamquam objectum specificans, sic enim est appetibile, respectu actus specificati, et bonum ejus, ac perfectio. Unde ex eo, quod ens mathematicum sit verum utpote cognoscibile, sequitur etiam, quod sit bonum, quia est perfectio objectiva, et specificativa ipsius actus, ergo perfectio illius, et finis ejus, non ergo abstrahit quantitas mathematica a ratione finis.

XXIX. Respondetur illud argumentum evidenter instari in malo, et privatione, hæc enim possunt esse objectum cognitionis, et tamen cognitio ipsa est bona, et perfecta, et sumit suam specificationem ab objecto, et tamen malum, ut malum non est bonum, sed oppositum bono. Dicendum ergo est, quod cognitio sumit perfectionem suam ex objecto non ut perfecto in se, sed ut cognoscibili, potest enim dari perfectissima cognitio circa objectum imperfectissimum, ut circa materiam primam potest metaphysica versari, cognoscibile autem perficit cognitionem in ratione veri abstrahendo ab esse, et a convenienti, et bono, cognoscimus enim etiam, quæ horremus, et odio habemus, sed perficit ipsum in quantum intra potentiam intentionaliter ponitur media specie, et hæc species bona est, et perfecta formaliter, licet objectum, ad quod extra terminatur, bonum non sit. Itaque ipsa repræsentatio rei non bonæ bona est, quia bene, et perfecte repræsentat, et secundum exactam similitudinem, et talis modus assimilandi convenienter et perfecte etiam ea quæ bona non sunt, convenienter est, et perfectus, et sic circa non bonum potest esse bona, et perfecta repræsentatio.

tio, seu actus, quia bonitas talis representationis, et actus consistit in ipso convenienti modo repræsentandi, et correspondendi ipsi rei repræsentatæ, seu cognitæ. Et quando dicitur quod ut aliquid sit perficiens alterum, seu perfectio illius, sufficit, quod perficiat ut objectum, non ut forma, respondetur quod ut sit perficiens extrinsece, et terminative sufficit, quod sit objectum, ut autem sit perficiens formaliter, et intrinsece requiritur quod secundum aliquod esse intrinsece perficiat, sicut ad cognitionem requiritur intrinseca proportio ad objectum, potest autem etiam circa id, quod non est bonum dari bona proportio, et conveniens, sicut res imperfectæ, et malæ possunt optima repræsentatione repræsentari, quia bonitas repræsentationis in ipsa convenientia repræsentandi consistit, non in bonitate extremi repræsentati. Et sic mathematica licet sint non bona, actu bono et perfecto attinguntur. Et cum dicitur quod est bonum, et appetibile, et finis respectu ipsius actus cognoscendi, respondetur quod proprie non se habet, ut finis, sed ut objectum specificans, neque est appetibile ratione sui, sed ratione cognoscibilitatis, seu proportionis, quam exigit cognitio ad ipsum, sicut etiam mala, privationes, et non entia sunt objecta cognitionis, non tamen sunt bona, et appetibilia, quia cognitio non appetit objectum in se, sed proportionem ad illud, ut ad cognoscibile, et in ratione veri attingibile sive in se sit bonum, sive non, nec ratione sui est bonum cognitioni, sed ratione proportionis in esse cognito, quia etiam circa malum potest esse proportio bona.

ALLÆ DIFFICULTATES A PRINCIPIO
SOLVUNTUR.

XXX. Ad tertium argumentum

de creaturis possibilibus, respondetur esse bonas in potentia, non in actu, et ita possunt amari extrahendo illas a tali statu, et ordinando ad esse, non relinquendo eas in illo, sic enim manente statu possibilitatis non sunt amabiles, quia est status abstrahens ab omni esse, et considerans solum prædicata essentialia non aliquem effectum, vel ordinem ad esse, quia potius ille status privat, et repugnat omni esse, et res quæ reducuntur ad esse amittunt illud statum. An vero ratione sui, licet non ratione status possint res illæ terminare saltem simplicem complacentiam sine aliquo ordine ad esse, dicemus infra super quæstionem XIX. Nunc sufficit argumento, quod illæ res possibles non habent bonitatem aliquam nisi possibilem, seu in potentia, et sic si amantur est ratione ordinis ad esse, quod est ipsis possibile, non autem abstrahendo ab omni ordine ad esse, et tantum ratione essentialis connexionis prædicatorum, quæ solum in illo statu considerantur, non ordinando illa ad esse, et ad appetitum.

XXXI. Ad quartum respondetur quod peccatum in illa sententia est positivum non quomodocumque, sed ut fundans privationem, et sic est positivum defectuosum, et non undequaque perfectum, bonum autem sequitur ens, ut perfectum, et non ut defectuosum, et sic peccatum non est a Deo ut fundat privationem, et malum, et res deficiens; est tamen a Deo illud positivum, quatenus aliquid entitatis est, et sub illa ratione, qua est a Deo non est formale peccati, quia ut sit formale peccati requiritur, quod illud positivum sit non quomodocumque, sed ut fundans privationem, et ut deficiens et sic illud positivum non sub omni ratione est a Deo, scilicet non sub ratione deficiente, seu ut fundat deficientiam, sic enim est ex nihilo

non ex Deo, sed solum sub ratione efficienti. De veneno autem dicimus quod est malum alteri, sed non sibi et ideo retinet bonum ei, cui conveniens est, non ei, cui nocivum: hoc autem non tollit, quod omne ens non sit bonum, sed quod non omni enti sit bonum.

XXXII. Ad quintum dicemus infra quæstione XXVIII. Interim sufficit respondere relationes divinas esse bonas, sed non bonitate multiplicata, sed eadem, sicut habent eandem essentialiam, et existentiam, et omnipotentiam. Itaque omne ens debet esse bonum, sed non oportet, quod distincta bonitate sit bonum, licet entitas distincta sit, potest enim multiplicari realitas per multiplicationem respectuum, et non multiplicationem secundum perfectiones, quia in relationibus perfectio sumitur non secundum oppositionem ad suum correlativum, sed secundum ordinem ad suum perfectibile, et secundum id in quo sunt, non secundum id ad quod sunt, quia nihil perficitur ad alterum, sed in se. Quare cum relationes divinæ tantum habeant oppositionem respectu sui correlativi, non respectu sui perfectibilis, vel perfectionis, consequenter non multiplicantur in perfectione. Ergo neque in bonitate, quæ perfectionem sequitur, bene tamen in realitate, quæ etiam in respectu ad correlativum salvatur, et ita multiplicatur. Vel si illæ relationes dicunt diversas perfectiones et bonitates relativas, quidquid bonitatis est in una, est in altera, sed alio modo, quia quælibet relatio infinita est; de quo dicemus loco allegato.

ARTICULUS III.

Utrum sit proprium Dei esse bonum per essentialiam?

I. Affirmat D. Thomas hic quæstione VI, ar. III, quem sequuntur

communiter ejus discipuli Cajetanus, Bagnez, Gonzalez, Navarrete, Biescas super eundem locum. Negant p. Vazquez hic disp. XXIV, cap. II; Molina super quæstionem VI, ar. III, disp. II; Valentia hic quæstione VI, punct. II et alii, quorum fundamenta postea adducemus; existimant enim vel existentiam non distinguere ab essentialia in creatis, si ratione existentia sunt bonæ, vel essentialiam habere in se sufficientem actualitatem, quod bona sit scilicet ipsum esse essentialiter.

II. Supponimus autem quod esse tale per essentialiam dupliciter dicitur. Uno modo, ita quod ly per essentialiam opponatur ei, quod est per participationem. Secundo, ut opponitur ei, quod est tale accidentaliter, et tunc esse tale per essentialiam est idem quod esse tale essentialiter. Primo modo esse per essentialiam, id est, non participative tollit causam efficientem, et est idem, quod esse tale a se, et non ex participatione alterius causæ. Secundo modo ly per dicit causam formalem, scilicet esse tale per formam essentialiam, et non per formam accidentalem.

III. Sententia ergo D. Thomæ consistit in tribus dictis. Primum est, quod in creaturis solum est bonum participative, et in Deo non participative, sed a se. Ita s. doctor in hac quæstione VI, articulo III, in argumento, sed contra ex Boetio, et in quæstione XXI de veritate, ar. VIII: Secundum dictum est, quod etiam sumendo ly per essentialiam pro eo, quod est essentialiter esse tale, et non accidentaliter, etiam solus Deus est bonus essentialiter. Ita sumitur ex isto articulo III in corpore, et ad II, et qu. XXI de verit. art. V, ubi inquit: « Quod secundum Augustinum Boetium, et auctorem libri de causis dicendum est, solum Deum esse bonum per essentialiam, et creaturas per participationem, » et statim

ostendit bonitatem completam, et absolutam in creaturis dependere ab accidentibus. Tertium dictum est, quod quantum ad bonitatem secundum quid, et non simpliciter etiam creaturæ sunt perfectæ, et bonæ substantialiter quatenus in sua essentia perfectionem aliquam habent, sed non omnem sibi debitam, et convenientem. Hoc tertium dictum sumitur ex D. Thoma supra quæstionem v, ar. i ad i, ubi dicit: « Quod secundum esse substantiale aliquid est perfectum non simpliciter, et absolute, licet sit ens simpliciter, » quia perfectum dicitur aliquid quando est in ultimo, non in primo esse, seu fundamento cæterarum perfectionum.

IV. Circa primum dictum nulla est difficultas, nam constat omne ens creatum esse ens per participationem, et ab alio non per essentiam, et a se, quod non solum verificatur de ente creato quantum ad sua accidentia, et existentiam, sed etiam quantum ad ipsum esse essentiae, licet enim res sub statu possibilitatis solum dicat prædicata essentialia, et objective possibilia, tamen quando in re producuntur non solum producit existentia, et accidentia, sed etiam ipsa essentia redditur participata a Deo, ut tamen subjecta existentiae, a qua distinguitur, quia vere illa essentia producta est in rerum natura, et sic homo habet ipsam substantiam, vitam, et reliqua prædicata essentialia participata a Deo, et non a se, neque enim tollitur, quod aliquid sit essentialiter tale, et tamen participative habeat illam essentiam, tamquam aliquid derivatum a prima essentia, quæ est ejus idea, et exemplar.

V. Circa secundum dictum est fere tota difficultas, et controversia præsens, quia non apparet quomodo ipsamet essentia ratione sui non

habeat bonitatem, cum ratione sui non careat perfectione, et integritate essentiali. Dicimus tamen quod loquendo de bonitate absolute, et simpliciter, sicut loquitur D. Thomas et advertit Cajetanus supra quæstionem vi, ar. iii, §. Ad hoc dicitur, et sequuntur communiter discipuli Div. Thomæ supra citati, impossibile est, quod ens creatum habeat bonitatem essentialiter, et ex vi solius essentiae formaliter loquendo, licet verum sit, quod radicaliter in substantia contineatur tota bonitas, quæ ex operationibus, vel accidentibus provenire potest, si quidem accidentia, et operationes in ipsa substantia radicanter. Existentia autem licet non sit radicaliter in substantia quantum ad connexionem, reducitur tamen ad ipsam quantum ad limitationem, et specificationem, quam habet ex illa. At vero formaliter loquendo non potest essentia dici bona ex vi solius essentiae, seu substantiae, sed ex aliquibus accidentibus, vel prædicatis accidentaliter convenientibus. Ratio est, quia bonitas rei resultat ex eo, quod habet perfectionem sibi debitam, et convenientem, si quidem bonum dicitur rationem perfecti quod est appetibile, et si est bonum simpliciter debet esse perfectum simpliciter. Ergo non debet solum habere primam actualitatem, sed etiam consummatam, et ultimam ex his, quæ sibi debentur, sed non potest substantia creata per se ipsam habere omnem perfectionem sibi debitam consummate, et ultimate, nisi per aliquid sibi accidentaliter superveniens, ergo non potest ex vi prædicatorum essentialium tantum, dici bona simpliciter. Consequentia patet, quia non dicitur consummate perfecta ante illa prædicata accidentalia, sed privata aliquo sibi debito, et ad quod per se ordinatur, sine quo potentialiter se habet, bonitas au-

tem simpliciter convenit alicui ex plenitudine essendi, ut dicit D. Thomas 1-2, q. xviii, ar. i, idem est autem plenitudo essendi, quod habere omnia sibi debita, et ad talem essentiam pertinentia. Minor vero probatur, quia triplex est perfectio conveniens rei, scilicet esse, operatio, et finis, ad quem ordinatur, quæ omnia perfectiones sunt accidentales, et non essentielles rei, et sine illis non dicitur res aliqua perfecta simpliciter. Nam quod essentielles non sint, satis constat, nam existentia est prædicatum accidentale rei creatæ, et similiter operatio, quia exit ab ipsa natura jam constituta, et procedit ab ea, ergo non constituit eam, et similiter finis est aliquid, ad quod tendit ipsa natura rei, sicut lapis ad centrum, ergo finis non pertinet ad constitutionem essentiae. Similiter constat, quod essentia rei sine existentia solum est ens in potentia, et non actu appetibilis, et bona, et sine operatione, et fine manet privata aliquo, ad quod per se ordinatur, ergo non habet consummatam perfectionem ex his quæ sibi debentur, ergo non manet bona simpliciter, quia bonum est ex integra causa pertinente ad consummationem debitam tali rei.

VI. Dices: Sine istis accidentalibus perfectionibus non manet substantia perfecta accidentaliter, manet tamen perfecta essentialiter, quia ipsa essentiae constitutio perfectio est, constatque essentia ex aliquo prædicato magis, vel minus perfectio, si quidem graduantur diversæ essentiae juxta diversos gradus essentielles, et unusquisque gradus est perfectior altero, ergo antecedenter ad esse, et ad operationem invenitur perfectio essentialis, et in linea perfectionis essentialis consummata est, quia integre constituta, licet accidentaliter non sit perfecta. Et confirmatur, quia ipsa acci-

dentia sicut existentia, et operatio per suam essentialem rationem sunt perfecta, et non indigent alia existentia, vel operatione, ergo similiter ipsa substantia, quæ est perfectior ipsa existentia, et operatione dicitur habere in se essentialem perfectionem consummatam.

VII. Sed contra est, quia ipsa essentia, et natura licet constituatur per prædicata essentialia, tamen ex ipsis prædicatis essentialibus habet ordinari ad illa extrinseca, et dependere ab illis, ut in actu sic perfecta consummate, et simpliciter, et non solum maneat in potentia. Et ratio est, quia ex vi essentialium prædicatorum solum constituitur natura in ratione primi principii, seu radicis eorum, quæ sibi debentur, et superveniunt, ergo ex vi prædicatorum essentialium solum habet esse radicaliter, et fundamentaliter bona, seu inchoative, non autem formaliter, et simpliciter. Et sic fatemur, quod in linea essentialis constitutionis, et radicis est perfecta, et bona essentia, perfecta, et bona radix, sed hoc non est esse bonum, et perfectum simpliciter, et formaliter, sed inchoative, et radicaliter. Et hanc bonitatem nos fatemur, imo bonitas ut supra diximus non distinguitur ab entitate, bonitas quidem radicaliter, et inchoative ab entitate essentiali, bonitas vero consummata, et perfecta etiam ab entitate accidentali. Et ratione hujus perfectionis, et bonitatis radicalis dicitur una essentia perfectior alia in gradu suo, sicut enim est radix perfectionis operationis, et accidentium, ita in se essentialis est perfectior, licet utraque in suo ordine non perficiatur simpliciter nisi per aliquid superadditum essentiae. Et D. Thomas aperte fatetur se loqui de bono simpliciter, quando dicit res non esse bonas essentialiter quæstione xxi de veritate, art. v. At vero

Deus hæc omnia habet tamquam prædicata essentialia, esse, et operationem, et omnia, et sic per suam essentiam dicitur bonus, et perfectus, etiam sine ullo ordine, aut dependentia ad aliquid extra se.

VIII. Ad confirmationem respondetur ipsam existentiam et operationem non esse bona ut quod, sed ut quo, et ita non indigent alia existentia, et operatione, ut bona sint, sed illis indiget substantia, ut per illa reddatur bona.

IX. Circa tertium dictum, aliqui dubitant an revera detur aliqua bonitas essentialis in rebus, an vero omnis bonitas accidentalis sit, ita quod neque secundum quid, neque simpliciter aliquod essentialia bonum sit in creaturis. Et hoc ideo, quia remota existentia totum quod essentialia est non manet nisi in potentia, ens autem ut in potentia non est simpliciter neque actu bonum, sed solum in potentia, quod est non esse bonum. Ergo bonitas in actu semper est accidentalis. Quare cum res dicantur bonæ per participationem a Deo, et primum quod a Deo participatur sit esse, quod est universalissimus effectus primi agentis, omnis bonitas participatur mediante esse, et consequenter mediante aliquo accidentali, quod est esse.

X. Nihilominus oppositum dicendum est, sumiturque ex D. Thoma q. xxi de verit. art. v, ubi docet substantialem bonitatem non variari in creaturis, bene tamen absolutam, et completam quæ ex accidentibus pendet, quamvis hæc ipsa bonitas substantialis habeatur per participationem secundum esse, et dependenter a primo esse. Fatetur ergo D. Thomas dari aliquam bonitatem substantialem invariabilem, quam distinguit a bonitate absoluta, et completa, quæ est bonitas simpli-

citer. Et ratio est, quia substantia quando producit, licet dependeat ab existentia, ut sit in rerum natura, tamen non constituitur ipsa existentia, nec sola entitas existentiae ibi datur, sed etiam entitas essentialis, quæ existentiae subicitur, et hæc aliquam perfectionem, et actualitatem habet, ratione cuius est radix operationum, et accidentium, et non ratione existentiae, licet sine existentia actu non sit, sed solum in statu potenciali: posita autem sub existentia, non solum ratione existentiae, sed etiam ratione sui perfectionem habet, quæ est radix accidentium. Et hæc aliqua bonitas est, et sic habet bonitatem substantialem, sicut et perfectionem, sed non plenam, et simpliciter ratione sui tantum, sed dependentem ab existentia, ut sit in actu, et ordinata ad operationem, et finem, ut sit perfecta, et consummata. Unde loquendo de bonitate simpliciter non convenit rei essentialiter, sed per aliquid superadditum accidentaliter, quo consummatur. Loquendo autem de bonitate secundum quid, seu de bonitate, quæ est radix, et fundamentum seu inchoatio, et non consummatio perfectionis, illa convenit substantiae, quæ est ens simpliciter, ut docet D. Thomas hic q. v, art. i ad i, ubi concludit, quod secundum primum esse, quod est substantiale dicitur aliquid quod est ens simpliciter, solum bonum secundum quid, id est, in quantum est ens; Secundum vero ultimum actum dicitur aliquid ens secundum quid (id est accidens,) et bonum simpliciter. Constat autem quod ens simpliciter dicitur aliquid ratione actus substantialis, non ratione existentiae, licet dependeat ab existentia quo ad statum essendi extra causas, et extra possibilitatem, et bonum simpliciter, id est, completum, et plenum etiam quoad statum non convenit

rebus essentialiter, sed accidentaliter.

SOLVUNTUR ARGUMENTA.

XI. Primo objicies: Nam ratio entis intrinsece, et essentialiter imbitur in quacumque differentia, et prædicato essentiali rei creatæ v. g. hominis, ergo est ens per essentiam suam, id est, essentialiter, licet participative, et dependenter a Deo, ut ab efficiente, ergo etiam est bonum per suam essentialem rationem, seu formam. Antecedens est certum, quia conceptus essentialis quantumcumque intimus necessario includit ens, alias esset nihil, ergo per suam formam, et conceptum essentialem est ens. Consequentia vero probatur, quia bonum est passio entis, ut perfecti, essentia autem in suo conceptu essentiali aliquam perfectionem, vel actum includit; ergo ex vi talis formæ essentialis est bona, eo modo, quo est in actu, et perfecta. Et præsertim hoc urget, quia ut supra diximus bonum ita est passio entis, quod non distinguitur ab ipso, neque addit supra ens aliquam realitatem, sed solum relationem rationis, ergo per eandem essentialem formam qua aliquid est ens est bonum, saltem identice.

XII. Confirmatur, quia quando passio dicitur de subjecto per verbum est, ly est abstrahit ab existentia, et a tempore, et multo fortius quando ipsa passio non est alia entitas realiter ab entitate essentiali, ergo quando ens dicitur bonum abstrahit ab existentia, et sic antecedenter ad existentiam res dicitur bona, ergo essentialiter est bona, et independentem ab existentia, aliisque accidentibus. Confirmatur: res adhuc possibilis, et non existens est perfecta, et appetibilis, ergo bona. Conse-

quentia patet, quia bonum est id ens, quod appetibile. Antecedens probatur: est perfecta, quia secundum diversas rationes essentielles dicitur diversimode perfecta essentia, sicut dicitur Angelus essentialiter perfectior homine ratione suæ essentialis differentiae. Est appetibilis, nam infirmus appetit sanitatem, quæ nondum est, sed potest esse, et aliquando quæ nunquam erit, imo et impossibilia amare possumus simplici affectu, ergo independentem ab existentia res appetitur actu, ergo est actu appetibilis, ergo bona.

XIII. Respondetur quod in conceptu essentiali includitur ens, et actualitas, seu perfectio essentialis, ut inquit D. Thomas xxi de veritate, art. v ad i. Sed hæc bonitas est secundum quid, non perfecta et completa, et simpliciter, hoc enim habet dependenter ab esse, et aliis perfectionibus accidentalibus. Et bonum est passio entis non absolute, et pro quocumque statu, sed sub statu entis perfecti, et ordinati ad existentiam, et ad accidentia, bonum autem secundum quid, et inchoative pertinet ad solam essentiam secundum se, et ita docet D. Thomas hic q. v, art. v ad i et q. xxi de verit. art. i, quod bonum sequitur ad ens, ut perfectum, imo non quomodocumque debet esse perfectum, sed debet esse in statu appetibilitatis, id est, non solum debet esse perfectio informans, et constituens, sed ut finalizans; nulla autem perfectio finalizat nisi per ordinem ad esse, quia non aliter est appetibilis, ut docet D. Thomas in hac quæstione v, art. v, art. ii ad iv, informatio enim fit mediante conjunctione, et unionem formæ, finalizatio autem mediante apprehensione dirigente ad assecutionem rei. Unde finalizatio movet secundum ordinem ad esse, quia movet ad executionem, seu est principium

executionis, executio autem est circa esse, et ideo finis in finalizando dicit ordinem ad esse. At vero informatio, et constitutio rei non fit mediante existentia tamquam ratione formali, sed ipsa conjunctione formæ ad materiam, ex qua resultat compositum, quod subicitur existentia. Unde ad informandum, et constituendum compositum existentia non se habet ut causa, sed ut effectus, seu quid consecutum, ad finalizandum autem in intentione se habet ut causa. Unde licet inter prædicata essentialia dentur multæ perfectiones essentialia, tamen prout ibi non considerantur in statu appetibilitatis, et finalizationis, sed in statu constitutionis, et informationis, quod non sufficit ad rationem boni, ut supra satis ponderavimus. Et hoc modo convenit alicui per essentiam aliqua perfectio v. g. esse animal, vel rationale (licet participative a Deo, ut a causa efficiente) non tamen convenit per essentiam finalizare sine ordine ad esse. Neque obstat, quod bonum non distinguatur realiter ab ente, id enim intelligitur de ente perfecto in sua plenitudine consummato, seu ab ente in communi, ut dicit D. Thomas q. XXI de verit. art. 1, tamen ab ente nondum perfecto, et consummato, sed solum inchoative sumpto, et quantum ad essentialia prædicata, bene potest distinguere bonum completum, et perfectum, quia bonum est ex integra causa, et integritas ista potest constare ex distinctis entitatibus, et sic ab una solum distinguere ratione alterius.

XIV. Ad primam confirmationem respondetur, quod in prædicatione propriæ passionis, ly est abstrahit ab existentia in eo præcise, in quo passio est, et eo modo, quo est passio. Unde bonum completum, et simpliciter tale, cum non sit passio entis, quomodocumque, sed ut per-

fecti, et consummati, respectu illius prædicabitur necessario, sed tunc supponitur existentia et alia accidentia, quibus completur, et consummatur, et de ipsa existentia prædicare existentiam, aut perfectionem existentia, prædicatio est æternæ veritatis, et abstrahit ab existentia secundum exercitium non ut in actu signato, et ut extremum prædicationis. Respectu autem entis non perfecti neque consummati non prædicatur bonum completum, et simpliciter tamquam passio, sed bonum secundum quid, et radicaliter, seu inchoative tale, ut explicatum est, et talis bonitas abstrahit ab existentia exercitio, licet non ab ordine, et tendentia ad illam, sine qua non potest finalizare.

XV. Ad secundam confirmationem respondetur, quod seclusa existentia, res possibles dicuntur habere diversam perfectionem essentialiam, et graduationem illius, non tamen habent rationem boni, simpliciter, neque in statu appetibilis, et finalizantis, licet per modum constituentis inveniantur ibi perfectiones prædicatorum essentialium sub statu possibilitatis. Neque ex tali perfectione prout præcise essentialis est sequitur bonitas, quæ sit simpliciter talis, sed solum quæ radicaliter, et inchoative, et secundum quid sit bonitas, et per modum status potentialitatis.

XVI. Ad aliam probationem, qua probatur esse appetibile id quod non existit, distinguo: quod non existit in executione transeat; quod non existit in intentione, et apprehensione, nego; apprehendi autem debet aliquid, ut habens esse vel ordinatum ad esse. Et quidem si ejus assecutio intendatur, debet considerari possibile, vel futurum. Si non intendatur, sed solum simplici complacentia placeat, debet saltem considerari, aut conveniens, aut con-

junctum mihi saltem conditionate, et apparenter, et sub illa conditione placet, et illa est existentia saltem imaginata, ut cum quis imaginatur se esse Angelum, complacet in hoc, quia considerat se esse Angelum, ubi intervenit apprehensio ipsius esse. Et cum instatur: Est actu appetibile, quia actu appetitur; ergo est actu bonum, distinguo; actu appetibile in executione, nego; in intentione transeat, et tunc habet esse in intentione, non in executione, et sic non est actu appetibile, sive in intentione, sive in executione, sine ordine ad esse, sine quod non datur actu bonum.

XVII. Si instes: Essentia ex se radicaliter est bona, ergo habet radicaliter appetibilitatem, sed bonitas non consistit in actuali appetibilitate, sed radicali, ut supra diximus, ergo essentia hoc ipso quod habet appetibilitatem radicaliter, habet bonitatem actualiter, quia in illa radicali consistit, licet exercitium non habeat, respondetur quod bonitas non consistit in appetibilitate radicali, sed in relatione radicali appetibilitatis actualis, est enim actualis appetibilitas illa quæ est fundamentum, et radix relationis, quam fundat appetibilitas, in actuali enim relatione non consistit bonitas, sed in actuali ratione appetibilitatis, quæ est fundamentum hujus relationis, et hoc fundamentum seu rationem appetibilitatis non habet essentia nisi per ordinem ad esse, ut declaratum est.

XVIII. Secundo objicit p. Vazquez hic disp. XXIV, c. II, quia essentia non distinguitur realiter ab existentia, ut probandum est in p. q. XVII, ergo est idem convenire bonitatem secundum essentiam, et secundum existentiam, et solum differt, quia ante existentiam solum dicuntur res possibles, et similiter bonitas eis conveniens possibilis

est, post existentiam vero est in actu, et sicut propter dependentiam ab efficiente potest res carere existentia, et desinere esse, sic potest carere aliquo bono, et ei advenire malum oppositum. Secundo, quia creaturæ possibles diliguntur a Deo amore quodam complacentia, qui in Deo necessarius est, atque adeo supponit in ipsis creaturis bonitatem, quam amet. Antecedens probatur ab ipso infra disp. LXXIX. Consequentia vero satis nota est. Tercio, quia existimat bonitatem rei esse idem, quod integritatem illius, omnis autem essentia ante existentiam integritatem habet, cum sit constituta per sua prædicata, sive sit simplex, sive composita.

XIX. Respondetur omnia ista tria quæ tamquam certa sumit Vazquez a nobis negari, nam quod existentia distinguatur ab essentia supra probavimus circa quæstionem tertiam. Quod vero creaturæ possibles non diligantur necessario a Deo ostenditur infra quæstione XIX, loquendo de amore terminato ad ipsas directe, nam quod Deus amando suam omnipotentiam velit omnes res illas esse possibles, hoc non est amare illas in ipsis, et ratione suæ bonitatis, sed ratione omnipotentia, ex qua sequitur illa denominatio possibilitatis in objectis. Denique, bonitas non consistit in sola integritate rei, prout dicit ipsam constitutionem rei, et perfectionem per modum causæ formalis, sed ut finalizans, et appetibilis, et sic non dicit solam integritatem rei per modum constituentis essentiam, sed per modum perficientis appetitum, et sic addit appetibilitatem.

XX. Tertio, objicitur ex Molina, hic disp. II, quia licet essentia creatæ non sint bonæ per essentiam suam, quia actualem bonitatem participant a causa efficiente, et ab existentia, tamen non est negan-

dum, quod quando existunt, sunt bonæ non solum bonitate existentiae, sed multo magis bonitate essentiae, quia in ejus opinione est perfectior, quam existentia, aut si non est perfectior, est distincta ab existentia; ergo habet suam bonitatem sicut et perfectionem ab essentia distinctam. Confirmatur ex p. Valentia, quia omnis creatura in quantum talis bona est, ut dicitur Genes. 1: *Vidit Deus cuncta, quæ fecerat, et erant valde bona*, et aliis locis, quæ supra adduximus, essentia autem rei etiam seclusa existentia est creatura. Ergo bona, eadem quippe realitate, quia aliquid est ens, formaliter est bonum, et appetibile. Ergo essentia ante existentiam est formaliter bona, quia formaliter ens, alias solum appetere existentias, non res ipsas v. g. sanitatem, aut divitias, etc. Denique, Augustinus in lib. de natura boni, cap. 1, docet, quod omnis natura in quantum natura est bona, et frequenter contra Manichæos probat unamquamque rem esse bonam in genere suo.

XXI. Respondetur probare argumentum Molinae, id quod jam supra diximus, quod ipsi essentiae, seu substantiae correspondet sua bonitas, tamen illa non est perfecta simpliciter, sed radicaliter, et inchoative, quod est habere bonitatem secundum quid, id est, nondum perfectam, sed adhuc perfectibilem, et dependentem ab existentia, et aliis accidentibus, ut sit in statu appetibilis simpliciter.

XXII. Ad confirmationem respondetur omnem creaturam esse bonam actualiter, et consummate sub or-

dine existentiae, radicaliter autem, et inchoative etiam ratione essentiae, quæ est radix accidentium, a quibus redditur plene, et consummate perfecta. Et hoc modo omnia, quæ Deus fecit sunt valde bona, fecit enim ea cum existentia, et accidentibus debitis, non sine illis in pura ratione essentiae. Et hoc etiam modo Augustinus et alii patres dicunt omnes creaturas esse bonas, non tamen dicunt quod solum ratione essentiae secludendo existentiam et accidentia sint bona simpliciter. Et similiter eadem realitate, qua aliquid est ens, est bonum, scilicet, eadem realitate, qua est ens perfectum, est bonum perfecte, et simpliciter, ea autem realitate, qua est ens quantum ad essentiam tantum, erit bonum radicaliter, et inchoative. Et sic appetitur res ipsa v. g. sanitas non quidem seorsum ab existentia, sed in ordine ad illam, neque existentia seorsum, sed existentia sanitatis, sed sine existentia, sanitas ipsa non est appetibilis actu, sed radicaliter eo modo, quo explicatum est.

XXIII. Ex dictis manet etiam soluta ratio patris Suarez disp. x, met. sect. III, num. xxv et xxvi, quæ reducitur ad prædictas, quia si essentia est distincta ab existentia petit distinctam bonitatem, et perfectionem, sicut humanitas Christi etiam secundum se est bona, licet non habeat esse proprium, sed assumatur a divino. Ex dictis enim manet soluta ista difficultas, et distinguendo de bonitate radicali et secundum quid, vel actuali, et simpliciter, ut dictum est.

QUÆSTIO VII.

DE INFINITATE DEI.

De infinitate Dei acturus D. Thomas tacite omnem modum infinitatis ad infinitatem essentiae, seu substantiae, et quantitatis reducit, et de his agit in hac quæstione. Nam infinitas respectiva, seu relationis solum consistit in eo quod aliquid infinitum respiciatur ab alio, sive ut principium, a quo est, sive ut objectum, seu terminus, ad quem est, quia relatio non habet perfectionem suam, sive infinitatem, aut limitationem aliunde, quam ex fundamento, vel termino, et sic infinitas ista quæ a relatione præsupponitur, vel attingitur, est infinitas substantiae, vel quantitatis. Quod veritas qualitas possit etiam imaginari infinita, id vel reducitur ad infinitatem essentiae, vel quantitatis, quia si qualitas est infinita in actualitate, seu intentione formæ pertinet quasi ad ipsam essentiam rei si in extensione ad plura pertinet ad modum quantitatis.

Igitur in articulo primo inquit Divus Thomas, utrum Deus sit infinitus, non determinate in hoc, vel illo attributo, puta sapientiae, vel potentiae, etc. sed absolute secundum infinitatem naturæ, vel essentiae, infinitas enim attributorum vel sumitur radicaliter a natura, cujus sunt attributa, vel formaliter ab objecto circa quod versatur, et ex sphaera, quam habent. Infinitas autem ipsius essentiae sumitur penes exclusionem terminorum essentialium, quæ metaphysice sunt genus, et differentia, physice vero materia, et forma, vel loco materiae subjectum.

Supponit s. doctor quod omnes philosophi antiqui attribuerunt primo principio infinitatem. Sed quia aliqui dixerunt primum principium esse aliquid materiale, consequenter attribuerunt Deo infinitatem materiale, quæ imperfectionem dicit, quia materia perficitur per formam, sine forma vero privatur perfectione, et ideo finitas materiae, quæ est per formam dicit perfectionem, infinitas vero per privationem formæ dicit imperfectionem. E contra vero forma per receptionem in materia imperficitur, per segregationem vero ab illa perfectior redditur, et sic infinitas formæ a materia conducit ad perfectionem. Inter omnes autem formas esse est actualissimum, et maxime formale unde cum Deus sit esse irreceptum in alio, necesse est, quod sit infinitum in ratione formæ, et actus maxime formalis. De vi hujus rationis, quia explicatione indiget statim agemus.

In secundo articulo ostendit D. Thomas nullam rem esse infinitam simpliciter secundum essentiam nisi Deum. Nam materia si est infinita solum est infinita in potentia non in actu, in actu enim semper existit sub aliqua forma, infinitum autem in potentia solum est infinitum secundum quid. Forma autem si est recepta in materia manifeste est finita per ipsam receptionem. Si autem est extra materiam subsistens, vel recipit ipsum esse, vel non. Si recipit esse habebit esse finitum, quia receptum; essentia autem ipsa secundum se, et sine esse solum erit infinita secundum quid, quia in potentia se habet ad esse. Si autem habet esse non receptum, est Deus, et sic solus Deus est ex omni parte infinitus in esse. Vis hujus ratio-